Opuscula

CRYSTALLUS
Militanti Ecclesiæ
Triumphales accendens ignes,
D. THOMAS AQUINAS,
DOCTOR ANGELICUS.

Recurrente annuâ suæ Festivitatis luce,
In Basilica Cracoviensi SS. TRIADOS,
Inclyti & Augusti Ordinis Prædicatorum,
Profundo cultu & Votivâ Svadâ
in publica Magnorum Hospitum Corona
A
M. MATTHÆO JOSEPHO KOLENDOWIC,
In Alma Universitate Cracoviensi Philosophiæ Doctore, Pöëseos in Classibus Novodvorscianis Professore, Scholæ ad Ecclesiam Collegiatam S. ANNÆ Seniore.

OSTENSUS.

Anno, quo
Mæror DetersVs CrystaLLô & fVsVs ab Orbe.
DIE VII. MARTIJ.

CRACOVIÆ,
Typis Francisci Cezary, S. R. M. Illustrissimi & Rndissimi Domini Episcopi Cracov: Ducis Severiæ, necnon Scholarum Nouodvorscianarum Ordinarij Chalcographi.

JN GENTILITIA ARMA Jllustrissimæ Domûs GRODZICCIANÆ.



CRVX SOLEATA nitet, binîs hinc inde SAGITTIS,
Arma scias certò tanta, trophæa dare.
Eminet his fulgẽs pulchrè GRODZICCIA virtus
Quæ, par pro Patria est, stringere proq; DEO.
Hostis quòd Lechiam Victricem victus adoret,
Sic armata Domus, dat documenta Virûm.

ILLUSTRI ac MAGNIFICO DOMINO,

D. ALEXANDRO IOSEPHO

De Domaſzewice & Grodźiſko

GRODZICKI,

DAPIFERO CIECHANOVIENSI,

Domino, ac Mecænati Ampliſsimo.

CRyſtallus THOMAS *umbratilis facundiæ coloribûs depictus, cùm in lucem publicam prodit, ſub Tui Nominis Auſpicijs gaudet videri.* Illuſtris & Magnifice Domine. *Novit equidem ſplendentes Domûs Tuæ radios, & Heroicarum virtutum jubar; harum, ut eò magis in mundo niteat, pingi coloribûs exambit. Novit Gentilitia Arma, intra Orbem Sarmaticum glorioſè micantia; ab his, quò ſecuriùs triumphales accendat ignes, contra adverſantium tela præſidium & tutelam poſcit. Non vano quippe omine in Gentilitio Domûs Tuæ Inſigni, aurea* Crux *radiat; quâ præfulgente, certiſsima Patriæ ſalus, Eccleſiæ integritas prominet. Rigente ferro ducta* Solea, *Solidam notat fortitudinem, cùm in hoſtes ruendo, fauſto pede Martis Olympia decurriſtis, & glorioſè colla hoſtium calcâſtis.* Geminæ *quid velint* Sagittæ? *niſi quòd vel in hoſtem ferantur, vel latus nudum feriendũ pro Patria in Vobis reperiant. Ne paradoxum loqui videar. Jllum noſtrô ſeculô (ut cætera mittam; Magnis nempe veſtrûm enumerandis cum debito elogio Nominibus, nec ingenij mei auſus, neq; hæc pagina ſufficit.)* Illuſtriſſimũ CHRISTOPHORUM GRODZICKI Caſtellanum Camenecenſem, *ſub tempus belli Suetici Virum dexterrimum dum nomino, Martem veneror. Hic obſidione cinctam Leopolim tam ſtrenuè defendit, contra immenſas Coſacorum turmas, ut hoſtem reprimendo, Urbem omni metu ſolveret. Pa-*

ri *Armorum & Animorum dexteritate certavit Par Nobile Fratrum; alter Germanicarum Ductor Copiarum; alter* Generalis *Rei Armamentariæ per Regnum* Præfectus; *uterq;* GRODZICCIVS, *& in Militia Polona emeritissimus; quorum eximia virtus inter Martiales ignes, in oppugnando* Thorunio *Suetica potentiâ munito, emicuit. Legerunt felicissimè victoriam sub Gentilitiæ* Crucis *labaro;* Soleæq; *calcaneo ibant triumphantes, cruenta relinquendo vestigia; quibus Magni insisterent* GRODZICCII. *Ingressus hæc suo Nomine Maior* IOANNES, Pincerna Sanocensis, *acerrimus Equitũ Hastatorum Coriphæus, Tuus* Magnifice Domine *Magnus & Te dignus Genitor; cuius dotes animi inter arma spectatæ, mens bellô enutrita, ea gessit, quæ digna fastîs, digna forent & memoriâ seculorum. Bene meritus de Patria, quòd ultra Tyram, Boristhenem, Mæotidem, Gentilitia Arma secũ gloriosè circumtulerit, melius; quòd Martiam & dignam reliquerit sobolem; quæ Magno Parente nata, magnorum Ducũ Victricibus sese iunxerat signis; ut non minorem in Arena Gradivi mereretur famam. Vivit, etiam post fata superstes* FRANCISCVS Pocillator Podoliæ, *Vir omni memorandus ævo, partim in Fraterno Tui pectore, partim in vivo suæ Virtutis simulacro Filio,* VINCENTIO Pocillatore Zakroczymensi, *Heroë Magnanimo; cuius Nomen triumphans, Animus bellator, totus Martem spirat; vis ingenij & infracta fortitudo gloriosam ubiq; præsefert victoriam. Loqvuntur expeditiones publicæ* VINCENTII *in Armis felicitatem, Actus publici dexteritatem, quâ & Supremis Exercituum Ducibus carus, & omnibus amabilis. Vivunt in memoria Poloniæ bellaces animæ,* IOB STANISLAVS GRODZICKI Iudex Exercituum Regni, *excelsa mente & Heroicîs Actibûs incomparabilis: fortitudine bellica Agamemnon, Consiliô Nestor, æquitate Aristides; cuius incorruptum Iudicij Tribunal, sub Clava* Magni IA-

BŁO-

BŁONOVII, eò venit pretij, ut ei in perpetuum gloriæ & honoris censum sufficeret. DANIEL, & CASIMIRVS spectatissimæ inter Arma virtutis, quorum alter ausu Heroico, inter Turcicos Scythicosq; Acinaces, Gentilitiæ Crucis deferendo labarum, sat ex hoste triumphavit, cùm gloriosè occubuit; obicem hosti ponendo, nè in Patriæ viscera irrueret. Parem animi præfert Magnitudinem, & calentem ad Arma spiritum, etiam in provecta ætate nihil de Marte remittens, THEODORVS Dapifer Sochaczeviensis. Verùm inter hos præclaræ virtutis Macedonas, Tu ALEXANDER, Magnifice Domine. Indolis egregiæ, & magnorum capacis, statim à teneris indicia præbuisti. Florentem tui ætatem singularis favor & gratia Serenissimi IOANNIS III. Regis Poloniarum, ad se traxit & allexit, vel ipso Nobilissimæ stirpis titulô, quem Regalis Purpura inter sui sanguinis non erubuit nexum. Tersissimo honoris & fortunæ nitore fulgebant tum Avita tua Arma, triumphali Clypeo adhærentia. Omnem adversæ fortunæ aleam triumphavit Crux; fausto gressu, quaquà ibat, Magni Nominis vestigia fecit Solea; sublimis metam honoris attingere visæ Sagittæ, cùm sic victorioso Invictissimi Regis unirentur Scuto. Magnus hic rerum Arbiter Polonarum & Stator, vidit in Te solidum ingenium, maturum judicium & adamavit; Gordios perplexitatum Nodos Tibi committendo, optimè gnarus; quòd nemo illos meliùs solvere posset, Te ALEXANDRO. In omnibus ita circumspectus, ut ob spectatã in rebus agendis dexteritatem, cordi Principis & delicijs esses; & summorum in Republica Virorum summam æstimationem merereris. Inde Tibi crevit honor, inde Nominis & gloriæ amplitudo. Ablegatus ad Consilium Magnum Lublinense, in arduis Regni negotijs, magnitudinem Animi, firmîs & sanîs explicâsti rationibûs, quæ vel ipsæ in columen labentium rerum sufficerent, si bene sentientium vota, inter Arma pondus haberent.

 rent.

rent. Victricibus Magnæ Tuæ Prosapiæ Armis, triumphalem infudit lucem Jllustrissimus PODVELSIORVM *sangvis, sacro connubij fœdere, tædas Hymenæi Tibi accendens. Nobilissima hæc Familia quantùm apud Serenissimos Galliarum Reges, quantùm apud Augustissimos Cæsares meruerit; innuisse satis; cùm illorum Regni, inter æstum belli, conservando florem; horum fortunæ Onerariam per sangvineum Martis vehendo pelagus,* Generalissimi *sæpius feliciter teneret Regiminis Clavum. Hinc Nobilissimæ & publicè gestis honoribûs clarissimæ* CHWALIBOGORVM, GŁĘBOCCIORVM *Familiæ, laudi sibi duxerunt, connubiali nexu cum hac Familia sociari. Cessit in illustrem gloriã DomûsTuæ,*STEPHANVS de IanowiceCHWALIBOG, Camerarius Xiąznensis, *Vir Sagô Togâq; clarus, ingeniô, eruditione, & Oris facundi gratiâ felix : cessit &* SAMVEL GŁĘBOCKI *Militaribûs adoreîs & excelsô Animô præstans; quibus Cordis Tui delicium, lectissimas Filias, utramq; Corneliam, in vitæ Socias concesseris. Assurgit honori Tuo Heroica Virtus Natu Majoris, Meritis Maximi, Filij* JOANNIS; *cuius generosa Indoles quantùm Marte, quantùm innata dexteritate Animi, in publicis Regni meretur Actibus, tantùm Tibi gloriæ accedit* LechiæCamillus Magnus SIENIAVIVS, *in hoc tenero adhuc Iulo, ad aulam suam degente, vidit prudentiam suis annis majorem; moxq; ad honorificas accomodavit spartas. Spectâsti felix Anchise Æneam gaudens, cùm in Congressu* Palatinatûs Cracoviensis, *alijs ad stuporem, Tibi in solatium gloriosè munus perageret; rem sui Principalis efficaciter promovendo. Crescit hæc ampliùs generosa, intra Cracij Academi lucos, in herba spes; certissimum olim Patriæ, & Ecclesiæ præsidium, Gentilitijs Armis allatura. Quibûs etiam*Crystallus THOMAS,*triumphales Militanti Ecclesiæ accendens Ignes, allectus, hinc splendorem, hinc tutelam poscit. Qui cùm splendeat iam intra Triumphantis Ecclesiæ lumen, hoc quoque Eius encomium laudis, inter Arma Tui radiantia, locum sibi concedi exambit. Sic Ille clariùs & securiùs in Orbe nitebit; sic & Tu inter Jllius Triumphos adversa quæq; vinces; & inter Jllustrissimos in Republica fulgebis honores; quos Tua Tuæq; Jllustrissimæ Domûs virtus meretur, & ego precor.*

ILLUSTRIS & MAGNIFICÆ DOMINATIONIS VESTRÆ

Addictissimus Cliens & Servus
Author Operis.

ORATIO.

SPatioſa terraquei globi figura, ſtupenda rerum varietate, ſeſe circumagens, exploratorem animum & oculum, inſolita quadam admiratione involuit. A.A. Extra Copernici ſententiam crediderim, circularē Terræ ineſſe motum, quô captum intellectûs humani vel effugit, vel raptum in ſtuporem trahit. Amplum hæc ſui amphitheatrum nacta, viſui ſtupendas in Elementis, Elementatisq́; aperit Scenas, intellectui non ſatis capiendos producit naturæ Actus. Hinc videre eſt, perſpicaces Aquarum lymphas, alibi flammîs accendi; alibi medios inter Syrij æſtus congelaſcere; hîc inter hybernum gelu, & Boreale frigus, non conſtrictas calorem evaporare, atque vario ſymptomatum genere languidis mederi. Aliis turritas moles, & ſpiſſa æris pondera, innatâ gravitate amiſsâ, innatare; aliis, quidquid injeceris etiam plumoſum, lapideo cortice obductum & gravatum ſpectabis. A tenui fontium defluxu, in vaſta Neptunia Regna iret curioſior pupilla, allecta purpureô Amethyſti, igneô Chryſoliti, nitidô Erythrææ gemmæ colore, variisq́; rubri muneribus Ponti; ni à longe proſpiceret recuruos Mæandros, tortuoſos Euripos, quorum vagum & refluum curſum ſubtiliſſimi Stagiritæ antequam percipiant, ſorbentur. Ergo ex fluido aquarum Elemento in Aridam, Oratoriæ libet devolui periodo; poſt ſinuoſos Pelagi vortices, terræ ſinum, & prægnantem fæcundo naturæ partu, Telluris uterum, liceat penetrare. Circumfuſo pendens in àére Tellus, quà ſe ſublimi montium cacumine attollat, qua hiante ſpecu cavernoſisq́; latebris demittat, ſusq́; deq́; reperies, quo intellectum ſtupore captivet. Profundiùs enim hic illapſus inter Telluris operta, non ſtatim ad apertam devenit cognitionem; quomodo æris Corinthiaci copia, Perſicam efficiens gazam, ex abſtruſis terræ defluat venis! & prodigioſa naturæ meſſis, auream in

Lydia ferens ſementem, qua ratione ſit fulua telluris maſſa! Antra petens, in ipſo limine ſtupens hærere cogitur, cùm inter Dodonœ lucos, ubi horrendas canit ambages Sibylla; & ubi Tros Anchiſiades cariſſimi Genitoris viſurus ora, aureum in opaca arbore ramum decerpendum, (*quô avulſô non deficit alter, & ſimili frondeſcit virga metallo*) in cultum Triviæ deferendum, à Deiphobe edocetur. Quid proferam apertas voragines! atri Ditis oſtia, ſulfureum halantes ignem, Vrbes & Regna obſorpturas, ni faucibus ſuis in gratam cedant Victimam, Heroum Genus Curtij. Sed iam nimis in profundum devoluta Oratoria periodus, altiùs eluctetur, & ſuperas evadat ad Auras, excelſa ipſi rerum naturæ ſuggeritur materia. Haud mora! montibus iam oberrat; mittit Pelion impoſitum Oſſæ, novum Gigantomachiæ propugnaculum; præterit ubi Titania pubes Enceladus, flammivoma gemat ſub Æthna. Volupe eſt nivoſis Alpium conſiſtere jugis, non quâ parte Pœnus Annibal, ſcrupea Saxa ſanguineo macerabat liquore: ſed ubi pars montis prærupta & præceps, hiante ore, fæcundum Cælô bibit rorem, & ex nivoſa glacie puriſſimam efformat & ſervat Cryſtallum. Invia huic natura poſuit cunabula, nè facilè reperiatur, quod miro ſui artificio produxit. Inter Cautes aſperas; cavendo, nè facilè auſus mortalium, tam cultum temeraret opus. Cælo propiorem dedit locum, vel quod Cryſtallus Cælo digna ſit, vel quod radiante Sole, non nefaſto Promethei auſu cæleſtem terris accendat ignem. Tantæ virtutis & eminentiæ Cryſtallo intenſam & immerſam, dum in Diviniſſimum THOMAM, Angelica puritate conſpicuum, Phæboq; radiantem, reflecto pupillam, Cryſtallum video; eò celebriorem, quò fervidiùs triumphales militanti Eccleſiæ accendentem ignes. Permittes ô Diviniſſime, Te hodie Cryſtallum à me prædicari, utique non illam, quæ evanidis mundi intertexta Vaſis, inter laquearia nitet; ſed quæ Cryſtallino recondita Cælo fulget puriſſima. Patieris, quòd ſuîs coloribûs orbâ, & incultâ verborum ſvadâ, Te depingere præſumat Orator; à Te enim cultum & nitorem ſperat. Quem cæcutientem iam in ſplendorum tuorum immenſo, gratiæ

tuæ

tuæ levabis radio; & quod radiante Phæbo contingit; ut obſcura & ignobilia videantur ſplendida, mihi meæq; tribues dictioni. Congelaſcens in Eloquio facundia, facilè aptabitur in materiam Cryſtalli, vos ſerenum benevolentiæ veſtræ date Phæbum, triumphalis videbitur ignis.

Vix Cryſtallum THOMAM obtutibus veſtris producere intendo, locus ipſe, & altior ſuggeſtus Cathedræ, amplam & aptam huic ſuggerit Materiam. Sublimi Cæliſq; vicino cacumine Montium, quales eniti Cryſtallum ſolent, me ſtare videor. Sacra nempe DOMINICI Religio, Mons excelſus eſt; Cælos attingit, imò intra ſe ambit; utrumque veriùs torquens axem, quàm Libycus olim à Solio in Solis ſphæræ baiulum montem ſtupendâ metamorphoſi diductus Atlas. Non invidemus iam Theſſaliæ Olympum, ita Cælis inferre Cacumen, ut detractis Cælô ſideribus, ampliato radiet lumine; ita quâvis nube diſcuſſâ, inter lucidum æthera eminere, ut in formam ſiderei abire Cæli, veterum erronea aſſertione dicatur. Candidiſſimus Dominicanæ Religionis Ordo, cui à virtute candor & celſitudo, à probitate fulgor & claritas, Cælum in ſe quodammodo transferre videtur. In quo Sanctitate eminentes, cultûs Divini zelô igneos, elevato ingenio claros, virtutum & ſcientiæ igniculis ſcintillantes Viros, Stellas imaginor; THOMAM Solem dixerim, ni ſe Cryſtallum probaret. Et iam prominet ab alto totus niveus, totus eburno transparens colore THOMAS; hunc ſi Cryſtallum videre quæris? cognominem oculi humorem, cum ſagace pupilla, in Aquinaticæ Domûs penetralia funde. Cogita Thronos, purpuras, faſces; infer te ſublimi Regum Siciliæ ſolio; ſuſpice auratas Celſiſſimæ Ducum Arragoniæ Domûs trabes? Montes vidiſti. Jlluſtriſſima Aquinatum Familia dabit humorem; & cæleſtem clementiora deſuper inſtillabunt Aſtra. Nitorem, non hoc quod India mittit, ebur; nec Parium marmor, nitens inter auguſta laquearia Domûs, ſed concinnæ & Cælo cognatæ Virtutes depingent.

Sic dum acutiùs curioſior pupilla ampliat viſum, Theodora cæleſte hoc opus & donum DEI, intra ſua viſcera

 tegit,

tegit, abſcondit in aluo; ignara pretij fœtûs ſui; montium more; qui aureo prægnantes metallô. quid intra uterum ſui capiant, non capiunt. Nondum Matri, quid involutum geſtaret uterô Lucina revelat, & iam Bonus Anachoreta Orbi elucidat. E luco nemorumq; receſſu proſpicit, quòd Celſiſſima hæc Cyprus, quam non magis Siculæ, quàm Aquinaticæ alluunt aquæ, intus alat Cryſtallum, ignes olim triumphales accenſuram. Date ſenſum Auditores de Bono? quis meliùs poterat præſcire locum, quoCryſtallus oriretur, ſi non ſolitarius montium & nemorum Incola? Cavernoſam inhabitans ſpecum, profundum ſe in ſpeculativis oſtendit; in eremitica Cellula, quaſi in Celarent directè probando, ex præmiſſis ſui Vaticinij, veram ſequi THOMÆ in mundum illationem. Vnicum eſt, quod difficultatem parit; Cryſtallus THOMAS, eſt Obiectum ſcientiæ ſpeculativæ Boni, ergo Ens rationis. Soluit dubiumTheodora, explicando felicē non ingenij, ſed uteri partum; tam facilè & Auſpicibus Diis, quàm optimo Boni augurio erat prædictus. Tacete faſti fatidicas Dodonæ Sylvas & Sibyllarum folia! hæc iam excuſſa, illæ in nemora Boni devolutæ, ſuum illi ceſſere tripodem, cuius Augurium, quævis Oraculorum exceſſit commenta.

Vix Puer benigno Lucinæ receptus ſinu, THOMÆ nomen adeptus; ut vel ex ipſo etymo pateret, Cryſtallum ſine præruptis montium, & quadam abyſſo, nec naſci nec noſci. Auguſtam illius Corpuſculi Majeſtatem, quam frons geminis culte micans ocellis, vultûs liliati decor, niveum collum, & mentis candor pingebat, puriſſimam diceres Cryſtallum. Neque tamen ſenſim & latenter in virtutibus increſcebat, ſed ſubitò magnus. Rupit infantiles, quibus involutus erat, faſcias, ut naturam præcurreret. Pendens ab ulnis lactantium, conſpicit ſchedulam Angelica ſalutatione magis, quàm ſua albedine candidam, mox abiectis crepundiis, ſpretis verborum lenociniis, totus in terram proruit, hanc exambit, hanc complectitur. Novit bene ſacer Puſio, non inter nutricum blandimenta, ſed inter humidum àFonte Signato deriuatum, Cryſtallum conſervari. Non in delica-

lica-

licato ſinu Cypridis, ſed in ſacro Monte Libani, inter Alpes avernali inacceſſas Annibali (MARIAM intelligo) ſecuram haberi. Nec iam admirabundus ſuſpicio avida THOMÆ Viſcera, quibus Mare Gratiarum abſorbeat, & electam ut Sol, intimo Cordis amplexu teneat. Cryſtallus erat; nè aliquando deficeret, debuit humorem à Mari Gratiarum in ſe deducere. Triumphales olim ignes accenſurus erat; debuit ſuum pectuſculum Myſtico ardere Sole. Hic me ſtupor tenet! quomodo Puſio Gigas Montem ſacrum in ſua viſcera transfert! hanc, quæ ante colles parturiebat, ſuô claudit utero! O THOMA verè abyſſus! quis tuam eminentiam videre non poterit? qui hanc, quæ exaltata eſt quaſi Cypreſſus in Monte Sion, es complexus? Iam ſecurè novam meditaberis Gigantomachiam, contra hæreſeos monſtra, Turri Davidicâ munitus.

Creſcit ad unum luſtrum in Jlluſtriſſima Domo, ſed tempeſtivè cogitat; quomodo inter alta faſtigia faſtum mundi effugiat. Favent piis deſideriis Superi: in àéreos Caſſini montis colles devoluitur Cryſtallus, ut fumoſam inficientis mundi evitaret auram. In nitido Parij Marmoris pavimento, cavet ſibi & pavet, nè vitiorum ſcabrum & vomicam contrahat. Regiam, quæ fuerat clara micante aurô, flammasq; imitante pyropo deſerit, quia non Solis erat; præmaturo paſſu deſerta petit, optimè gnarus; omnem calorem, qui inter mundanos ignes producitur, Cryſtallo nocere. Aſſurgit Mons Caſſini ſuâ iam eminentiâ maior; frigidæ regioni iniectum verticem, in venerationem THOMÆ demiſſurus, niſi ſciret, in frigido ſecuriùs locari Cryſtallum. In Caſſinenſi Parnaſſo cùm unâ & alterâ eruditur Olympiade, ſupremum mente pia ſcandit Olympum, iterum ac iterum repetendo: *Quid eſt DEUS*? Quid agis ô THOMA? Abyſſum aperis, dum ſic ſublimia tentas! infrà Te demitte? remiſſiùs agas in his? quæ olim tuo elevato ſuberunt ingenio? Interim Cryſtallinam Vitam tuam, rigido auſteritatum gelu meliùs conſolida, flagranti devotionis ſpiritu excoque, Vultum frigidâ palloris macie conſtringe; tempeſtivè tela ad retundendam Idalii pueri telorum vim provide, nè te amplius impetat:

petat: alioquin arcem pudoris tui involaret & violaret. Profectò THOMAS inter continuos labores, vigilias & virtutum exercitia, sic piis in DEVM orationibus elevatus, ut virtus se ipsam miraretur, quòd supra corpus esset, & montis amplitudinem excederet. Mittit ergo non tam exesa carie & nivosô saxô, quàm sui puritate candidum Montem Cassini, iam Cælo digna Crystallus; in littus Hypocrenes Neapolitanæ transfertur, haustîs à Phæbo radijs sese probatura, num possit iam triumphales accendere ignes? Descendit ab alto Musarum Cohors, suum veneratura Apollinem. Altiùs erumpunt Castalij fontes, dantq; murmure plausum, quòd à modò iam dicerentur Crystallini. Cæteri Campaniæ colles altiùs assurgunt, insolitæ pulchritudinis Crystallum spectaturi, vel si intra se descendere vellet, recepturi. Ast purissima Crystallus, confert se in frondosum Parnassi cacumen, ubi agitante Phæbo Musæ calescunt, optimè callens, sic calentem sibi prodesse Phæbum. Cætum ingressus Castalidum THOMAS, mox in illo virtutum apex, Angelicæ castitatis excellentia, Divinæ Sapientiæ maiestas sic enituit, ut totus nix, totus puritas & candor spectaretur. Non iactet ampliùs Ida, ortam sibi cum Iove claritatem; Delus non ostentet serenum cum suo Phæbo meridiem? Neapolitanus Helicon, famâ THOMÆ clarus, Crystallum æternitati loquetur. Sed ô pulchrè nitens Crystallus, iam satis inter mundi valles delectâsti oculos intuentium! quo pulchriùs micare possis, in secretas & religiosas, te demitte Vmbras? Nôsti equidem; facem nocte sub obscura, magis videri luminosam! Carbunculum in Vmbris magìs ignescere! Sulfureo igne fumigantem, proximè time Vesuvium! ne Crystallino nitori tuo aliquam fuliginis inurat notam. Aureis onerata vasîs, Jllustrissimæ Familiæ non te trahat Abacus? cultior nitebis in Mensa Domini Crystallus. Ardentes in Solio Maiorum ceras, accedere vel accendere ne cogita? Sol utique major, dum in Occasum vergit.

Nec diu quid faciat, pingit variante colore faciem, ad facem DOMINICI clarere exambit. Concolor Candidis-

dissimi Ordinis virtus & habitus, Crystallinum ad se traxit THOMAM. Videat Orbis & invideat! SSmi Ordinis Prædicatorum excellentiam! quòd nihil in se foveat vel recipiat, nisi candidum, nisi Crystallinum. Sacris pij recessûs latebris illatus, mentis eburnæ & Vultûs maiestate, cui Cælestes insedere Charites, eminens; iam inter homines major homine, & cum Angelis numerandus. Candidiori induitur veste, ut se à mundi contagio immunem testaretur. Sic totus intus & extrà pulcher THOMAS, non tamen omnibus placet. Illusioni & maculæ datum purpuratæ Familiæ eiusmodi colorem, allegat Parens cum Fratribus; moxq; furoris illuvie motæ & turbatæ Aquinatum aquæ, in limosum transformantur cænum, ut Candidissimi Ordinis Cænobium, convitiis, probris, & futili spurcitie, qualem vix ipse Stygius volveret amnis, fædarent. Tam uliginosum Gentilitiarum Aquarum fugiendo lutum, pergit in Lutetiam Crystallus THOMAS: sed proh dolor! in Lernæam maternæ indignationis incidit paludem; ex qua biceps gemino fratrum furore eruperat Hydra, in Diviniorem hunc Alcidem tetras inijciens manus. Captus igitur, in triste squallidi carceris detruditur ergastulum. Vndique angustiis cinctus; hinc pallet inter arma furentûm, illinc fuliginem in squallido timet. Redditus tamen sibi; Crystallum se reminiscens, algidi carceris antrum, sibi non disconvenire. Vnde non à loco, non ab algore sensit contrarium, sed à Theodora. Hæc Sanctam pertinaciam, cùm precibûs & stillante ab oculis lachryma emollire non possit; tota furore scintillat, & diras ciet corde minas. Triste Saturni induens supercilium, dentibûs frendet; innocentem Iovem devoratura. Ore frementе spumat, fædam elaborando Venerem, cuius ope, Crystallus THOMAS vel diffflueret, vel nitorem Sancti propositi despiceret. Errâsti Theodora! Siccine fragilem putas Crystallum THOMAM? ut admoto Paphiæ igne, statim creparet! Glacialem crede? ad cuius humidum frigebit Venus, imò tota igne libidinis accensa suffocabitur! dubitas? en res experimentô constat. Attende, quanta sit Crystalli

 cum

cum igne Venereo pugna? in carcere THOMAS, quasi in Crystallino Cœlo; infra ipsum est fatuus Veneris ignis, & Capra saltans. Vel si Acidalô circumfusam dicis? Crystallus radiante calentior Phæbo, contrarios accendet ignes. Et iam totus exæstuans, è spuma natam, ardenti titione, acsi Tridente Neptuni everberat; torre quatit, ne amplius vel in minimo lasciviæ torrente intumescat. O admirandæ virtutis Crystallum THOMAM! o factum pæne incredibile! Glacialis Crystalli nitor, ab ardenti Cupidinis Vesuvio non liquefit! ignis radiante elicitus. Phæbo, à diffluentium voluptatum tempestate non extingvitur! Relinque iam squallidi carceris antrum Divinissime THOMA? puriorem Crystallum exambit te videre Sol; ut in virtute tua triumphales accendat ignes. Si intra Carceris rupes, non rumpis moram? descendunt Cælestes Intelligentiæ, auratam ferentes Zonam; Cælum quoque ipsum in triumphalem tibi inflecterent Coronam, ni iam Angelicâ Castimoniâ appareas coronatus. Vnicum superest! eiusmodi pompam triumphi Orbe circumferas, quem iam cælestes genij super æthera canunt.

Liliis insignitus THOMAS, Coloniam tendit Agrippinam; ibi pro Laurea, quæ immortalem eius notaret Victoriam, certaturus. Arrisere Crystallo cognata candore Parisiorum Lilia; nunc ore patulo, cælitùs attrahendo rorem, quô Crystallus delectaretur; nunc fusè explicando folia, nouis à THOMA Scientiis inscribenda. VerùmTHOMAS Crystalli naturam secutus, infima colere, sublimi M. ALBERTI doctrinæ mentem Angelicam subdere elegit. Felix eiusmodi Theopompô Isocrates! qui si ex investigatione rerum Naturæ, non satis mundo nosceretur, THOMAS ipsi ad commendationem satis. Fluxit ab ubertate ingenij Platonis, cæruleus Scientiarum Pontus, sed hunc THOMAS Crystallinum fecit. Manavit abundè Aristotelis Euripus, sed turbidus & vorticosus. donec ipsi Crystallus THOMAS infuderit claritatem. Cùm omnia afflatu Divino didicisset, scientiâ inflari nescivit. Vnde inter Socraticos tumultus, dum silentium servat, Bovis nomen audit.

audit. Advertite clamosi Philosophantes? forsan Taurum dixisse voluistis THOMAM? si sic! bene est; Montem intelligitis? an Signum cæleste? uterque conformis Crystallo, ille locô, hic influxu. Sed hîs missîs; utique Aheneus lebes, minimo tactu sonat; aurum percussum silet. Gemma servata in concha, suo tempore pretium dabit. Bos est THOMAS! sed qui terribiliùs, quàm olim 2dô Romæ Punicô bellô mugiet, contra hæresim: *Cave tibi* Hydra! Bos est! sed qui non iugô, ast iugî speculatione desudans, arenam literariam ad auream scientiarum messem exculturus. Melior interpres naturæ rerum ALBERTVS, attendite? quid sentiat de THOMA! *Tu mihi non respondentis, sed Doctoris locum obtinere videris.* Ita est Magne rerum Arbiter, Crystallus THOMAS, abstrusa elucidat, obscura illuminat, & difficillima quæque evidenter in se transparere facit.

Quantum Lutetia à sui nominis etymo distaret, ubi intra se Crystallus constitisset. Negavit ampliùs lutosis se circumscribi paludibûs. Cum toto Orbe de pulchritudine contendere visa; Monte Pyreneo, qua parte sibi adiacet, & Principes florum Lilia, & Crystalli nitorem iactando. Iam tum in Gallia, ex claritate Crystalli Liliis cognata, meridiem semper habuit Occidens, quem Sol in meditullio Cordis THOMÆ radians accendebat. Pallas Gallicana, quomodo tantum interciperet ardorem, umbriferas parabat laurus, Sacris THOMÆ temporibus imponendas; ut vel his nimium fervidi eius pectoris æstum temperaret. Quas cùm respuit, & poscentium renititur votis; fortè ex apprehensione mentis, non honoris, claudit in somnum oculos: & ecce cælitus missum ad se videt Nuntium: qui vix pro honore perorare incipit; THOMAS claudit & aures; & nisi venerandi Senis mandata exequi cogeretur, somnium vanum & inane phantasma putaret.

Quàm pulchrè & dignè emineret in Theologica Cathedra Crystallus THOMAS, Spectatorem an Auditorem cælestes habuit Genios. Adstiterat Claviger PETRVS, & Vas electionis PAVLVS; ille doceri ambiens, quomodo Crystallinus posset fieri; hic ad triumphales Ecclesiæ ignes, coruscum

ruſcum præferendo acinacem. Quis iam Cryſtallum THOMAM, vel vi potenti frangere, vel nova perplexitate obſcurare poterit? cùm ex Petra Eccleſiæ in novum robur coaluerit, & ex Vase Electionis, hæc, quæ nec auris audivit, nec in cor hominis deſcendit, clarè imbiberit. Quæ Stygiis caput extulerat undis infernalis Hydra, ut fæcundiùs geminaret & germinaret Hæreſeos monſtra; igne Phæbeo per Cryſtallum THOMAM ſuppreſſa & aduſta, ore buccinanti, per ſuum Bucerum, quaſi receptui canere, inter triumphos Eccleſiæ viſa. *Tolle THOMAM & diſſipabo Eccleſiam*. Horrendus immanis belluæ rictus, adſtrepere cæpit triumphanti Eccleſiæ, auxit triumphum THOMAS, publicâ ad Menſam Regiam acclamatione. *Concluſum eſt contra Manichæos.*

Tantam virtutem effudit in Hæreticos, ut ſine ægra oculorum ophtalmia illum intueri nequirent; cùmq; ſe ad Orci tenebras reciperent, doctis fudit literas codicibus, ut illorum nomen obliteraret. Inter magna Opuſculorum volumina, plurimos indevio eruditionis tractu conſcripſit Tractatus & ſummam Theologicam collegit. Nihil enim niſi ſummum ſcribere poterat, à Magno edoctus. Id ipſum ſummus in Cathedra Crucis Doctor approbans: *Bene ſcripſiſti de me THOMA!* quaſi iam ſcriptis Angelici Doctoris approbandis in terra deeſſet Cenſor. O felix Benè! quod ter Optimus protulit; ô Cryſtallinas THOMÆ lucubrationes! quæ lucis inacceſſæ Maieſtati conformes & accommodæ. Exeſte hinc eloquentiæ lumina? nil niſi umbras dabitis in præconia THOMÆ, qui ipſum DEVM meruit habere Laudatorem. Adverte quisquis claritatem ſapientiæ Divinæ, in Cryſtallo THOMA videre non vis? Ipſe CHRISTVS, qui eſt dilectus & Candidus, vellet eſſe Cryſtallinus, niſi illum crudelitas rubicundum in Cruce præſentaret.

Sic honoratum THOMAM, Neapolitana Tiara ultrò exambit; quaſi contenderet cum lauru, volens ſupra hanc in THOMA eminere. Sed alibi triumphans, hîc fugit certamen honorum. O Sanctam humilitatem! Monſtrorum

Ere-

Erebi debellator! Archipræſuleâ Cruce inſigniri noluit; forſan nè triumphô ſuperbire videretur. O THOMAM verè Cryſtallum! nè nitorem abſcondat, in purpura fulgere recuſat. Pontificale non acceptat Pedum, ut faciliùs verſaret calamum. Purpuram reſpuit, ut liberiùs doctis impalleſceret libris. Sed proh dolor! mox & lethali impalluit morbô. Nimirum ad Lugdunenſe deputatus Concilium, ut nitore ſuo fædos Orci diſijciat carbones; ipſe debilitatis circumvoluitur umbrâ. Ægritudine laſſus in Novam incidit Foſſam, nè Cryſtallus extra profunditatis antrum unquam reperiatur. Sed impar Abyſſo THOMÆ Foſſa! Cælo reddidit, quod Cæli erat.

Tibi primùm gratulor militans Sanctiſſima Omnium Noſtrûm Mater Eccleſia; quòd in Cryſtallo THOMA certiſſima habeas triumphandi arma. Tartarea potentia, nuſquam audebit virulenta tibi opponere caſtra: Sanctior hic Archimedes, illa comburet virtute Cryſtalli; & tibi triumphales accendet ignes. Fauces Averni, ſi quam effutire volent in Te caliginem, radians in Cryſtallo Phæbus illam diſcutiet; & nitebis, purior amicta Sole. In tuæ laudis immenſa luce Candidiſſime Prædicatorum Ordo, hallucinatur umbratilis facundia: nunquam clarior futura, quàm ſi venerabundum ſervabit ſilentium. Geſtas quippe in ſinu tuo eiusmodi Cryſtallum, ad cuius nitorem, Oratorij diſparent colores, & Eloquentiæ extingvuntur lumina. Tui fulgore radiat ſepticollis Roma; & vetus Albula nitidìs intumeſcit vndìs; cui dum ſat abundè Cryſtallinas infuderis aquas; voluit Auguſta Summorum PontificumNomina; Cardinaliũ Murices, Tiaras & Doctorales Mitras. Ergo tu ipſe iam applaude virtuti & felicitati tuæ; cuius honori aſſurgit, quatuor ſeculorum venerandâ canitie gravis, prima Regni Schola; in tuo candore Cryſtallum veneratura. Candidè profitetur, non aliter fontes ſui Caſtalios illimes fore, niſi Aquinaticis THOMÆ alluantur aquîs; qui ſe vitâ, moribûs, & Angelica puritate Cryſtallum probavit,

DIXI.

